ſeducere, atque corrumpere voluerint. Ad id ſerio animum advertite vos, qui aliquem in mundo gradum tenetis. mementote criminum veſtrorum magnitudinem creſcere pro magnitudine veſtræ conditionis; ac Deum diſtricte ultionem ſumpturum ob animas, quibus ſcandalum attuleritis. *Idem*.

Regula prudentiæ, cum dubitatur, utrum actio bona indifferens, ſcandalum ſit allatura.

Cum eſſentiales ſtatus noſtri obligationes nos ad quædam facienda cogunt, vel cum inde eccleſia magnum percipere poteſt fructum, illa a nobis aggredienda ſunt ſecundum Salvatoris, & Apoſtolorum exemplum, quamvis prævideamus non defuturos homines, qui inde ſcandali occaſionem arripiant. Verum ſi Dei gloria, eccleſiæ utilitas, ſalutis noſtræ cura, vel neceſſitas, quæ legem non habet, facta, vel cæpta noſtra non probant, quantumvis innocua, & ſancta videantur; ſi metuimus non injuria, ne aliquis inde ſcandalizetur, conſulendum nobis eſt ſaluti fratrum noſtrorum præ reliquis omnibus rationibus, quaſi ipſi habere poſſemus; quia væ illi, per quem ſcandalum venit, inquit J. C. *Idem*.

Nos quatenus Chriſtiani opponere debemus vitæ noſtræ exemplum.

Deus undequaque contumelia afficitur: effrænata licentia ſceleribus omnibus januam aperuiſſe videtur; vix minimum pietatis veſtigium in mundo videtur, & eccleſia nullam reliquam habet ſpem, niſi in exigua proborum hominum minum. Sumuſne ex hoc numero? Nunc tempus eſt oſtendendi, utrum veri ſimus filii ipſius; illa in manibus noſtris rem ſuam collocat: noſtrum igitur eſt, omnem illius reparare cladem, ac tueri gloriam exemplis virtutis æque publicis, uti publica ſunt ſcandala, quibus decoratur; noſtrum eſt obniti contra hunc impietatis torrentem, undique exundantem; noſtrum eſt, in flagitioſum hominum corde inſtaurare memoriam Dei illius, cujus ideas omnes illi penitus obliterare conantur; noſtrum denique eſt ea vita, quæ publica ſit vitæ eorum cenſura, palam damnare, quod reformare non poſſumus.

Qui ſcandalum præbent ſunt dæmonis concionatores.

Deus ſuos habet concionatores, ſed & mundus, & dæmon ſuos; poſſumne alio nomine vocare mortales, qui prorſus devoti ſunt effundendo in aliis dogmata impietatis, & vitii? Flagitioſi iſti, quorum os eſt veluti ſepulchrum patens, ubique fœtidum odorem exhalans mortis, ſcandali, & corruptionis; mundanæ mulieres, quæ ſunt veluti eſcæ publicæ aptæ ad alendam concupiſcentiam oculorum impudicorum, & adulterorum, & quæ ferentes in corde ſuo accenſum ſuarum cupiditatum ignem, fatales eorum ſcintillas effundunt, quocumque pertranſeunt per indumentorum ſuorum immodeſtiam, & vitæ ſuæ inverecundiam. Veniet aliquando dies, qua caput hoc, nunc mundi idolum, in cranium deforme, ac horridum convertetur: Veniet dies, qua corpus hoc fœtidum, & corruptum publicam veluti faciet reparationem JESU CHRISTO crucifixo per turpe tabum, quod delicatam ejus lautitiem excipiet. Veniet dies, qua Deus a vobis has repetet animas pretium ſudorum ſuorum, & ſanguinis, quas de manibus illius avulſiſtis; qua, poſtquam fueritis dæmonis inſtrumenta ad hominum damnationem, fietis æternæ comites ſuppliciorum, quæ propter hoc deteſtabile munus perferet, & qua omnes victimæ infelices, quæ perierint in laqueis, quos illis tetendiſtis, ſimul inſurgent in vos ultionem expetituræ interitus ſui, cujus vos præcipua cauſa extiteritis. *Abbas du Jarry, in Panegyr. S. Domin.*

SUPPLEMENTUM.

Chriſtiani relinquentes idola crediderunt licere ſibi ethnicorum mores retinere.

NOviſſimorum horum temporum Chriſtiani perhorreſcentes idolorum cultum, quem mens, & ratio execrantur, paullatim in illius uſus, quibus ſenſus maxime illiciuntur, migrarunt. Satis eſſe rati inſana Ethnicorum damnaſſe dogmata non minimam morum diſciplinæ partem adoptaverunt; & inde originem hauſit hæc morum, crapularum, ſaltationum licentia, quæ Religionis opprobrium eſt: inde etiam profecta ſunt dierum antecineralium ſolatia, funeſta excidii tot animarum origo. Et queritur adhuc quid mali ſit intereſſe voluptuariis cœtibus illis, & omnis intemperantiæ, libidiniſque ſpectaculis? Nonne potius eſſet quærendum, utrum liceat in partem horum feſtorum ab omni religione abhorrentium accedere, quin Dei iracundia in nos, & familias noſtras provocemus? Quod portentum oppoſitionis fidem inter, & vitam! Credere quidquid nobis credendum proponit eccleſia de terribilibus hiſce veritatibus, quæ tot pœnitentes, & martyres peperere; de frequentibus his periculis amittendi innocentiam in mundo, quæ tot clauſtra, ac deſerta cœnobitis replevere; de ineluctabili, ac univerſali neceſſitate ſeſe jugiter mortificandi, & carnem ſuam macerandi, ac pœnitentiam faciendi, ut ſaluti noſtræ conſulamus; denique de remotione occaſionum peccati, & de vitæ Chriſtianæ charactere: Hæc credere omnia, & Bacchanaliorum illecebras delibare, & his oblectari ſolatiis? quiſnam ſatis impietatem, miſeræque hujus vitæ ſtultitiam aſſequitur? *P. Croiſet in Exercit. Aſceticis Tomo* I.

Inanes cauſæ quas prætexunt amatores Bacchanaliorũ.

Quænam rationes magis irridendæ, ineptiores, ac ſtultiores iis, quas prætexunt homines, ut neceſſarium Bacchanaliorum uſum tueantur! Jejunium, & pœnitentia carniſprivii tempore obſervanda inter principes cauſas enumerantur ad flagitioſa hæc ſolatia probanda. Severa abſtinentia ſervanda eſt: dies quadraginta jejunandum eſt: igitur totidem præter propter dies in anteceſſum ſeveræ hujus abſtinentiæ rigores ſunt reparandi. Sancto quadrageſimali tempore peccatorum pœnitentia facienda eſt: igitur in anteceſſum ruere opus eſt in omnia vitiorum genera, innocentiam omnibus objicere periculis; cor ſexcentis criminibus polluere, ſenſibus ſuis effrænem licentiam laxare, voluptatibus omnibus ingurgitari, antequam hæc pœnitentia inſtituatur. Quadrageſimæ tempore chriſtiana vita ducenda eſt; hoc frugalitatis, ac ſanctimoniæ tempus vita prorſus pagana præveniendum eſt. Sancto eo dierum ſpatio Dei mandata erunt cuſtodienda; hæc igitur per hebdomades ſex, quæ præcedunt, violanda ſunt. Primo carniſprivii die capita noſtra erunt cineribus adſpurgenda; dum furunt Bacchanalia, omnia luxus ornamenta oſtendenda ſunt. Denique hoc pœnitentiæ tempore ſacræ audiendæ erunt conciones; igitur antequam hi pœnitentiæ dies adveniant, choreis, profaniſque ſpectaculis eſt indulgendum. Peculiarem ſibi cultum adhiberi Deus petit in quadrageſima, dæmoni ſaturnaliorum tempore præſtandum eſt, quod olim ab Ethnicis exigebat. Hæ ſunt cauſæ licentiæ illius, quam quiſque per hos intemperantiæ dies ſibi vindicat. Hoc pacto probare volunt conſuetudinem, quam vel minima Evangelii notio, vel leviſſima Religionis rudimenta proſcribunt, reprobant, damnant. Qualis error! Quam inſana dierum noſtrorum cecitas! *P. Croiſet in Spiritualibus Exercit. Tom.* I.

In Bacchanaliorum impudicitiis potiſſimum rurſus Salvator crucifigitur.

Si peccator iterum crucifigit ſuis criminibus Salvatorem, ſcelus hoc potiſſimum inter Bacchanaliorum licentiam committit. Licentia, quæ tunc temporis graſſatur; effrænis libertas, qua omnes impudentiſſime in omnia ruunt flagitia: inverecundia ſceleſtiſſimo abuſu probata, qua quiſque omnia ſibi licere putat illis omnis intemperantiæ diebus, haberi quodammodo poteſt, tamquam oſtentatio laxitatis, impietatis, nequitiæ, quæ nullum injicit ſcrupulum. Quam inferunt contumeliam id genus Chriſtiani Religioni ſanctiſſimæ, qualis noſtra eſt! Sed qua impudentia Religionem, Evangelium, & JESUM CHRISTUM in jocum, & opprobrium traducunt? Nonne hoc eſt palam iterare omnes ignominias, profanationes, opprobria paſſionis Dominicæ? Nonne hoc eſt in ludibrium vertere & veritates magis terribiles noſtræ Religionis, & JESU CHRISTI præcepta, & ſacratiſſima Evangelii dogmata? Mundus apertiſſimus Filii Dei inimicus per hæc ſcelera de ipſo Salvatore triumphat. Nonne dici poſſet, hanc eſſe ſpeciem publicæ a vera, & Catholica fide defectionis? Saltem hic eſſe videtur manifeſtus contemptus eorum omnium, quæ in JESU CHRISTI diſciplina puriſſima ſunt, atque ſanctiſſima. Nonne in choreis, ac ſaltationibus impie crucifigitur JESUS CHRISTUS per ea ſcelera, quæ ibi patrantur? Nonne in profanis hiſce ſpectaculis læditur Salvator per publica irreligionis, & licentiæ ſpiritui Evangelii oppoſita documenta? Nonne in mundanis his cœtibus, in voluptuariis hiſce ſocietatibus, in his aleæ academiis plerumque nocturnis, Barabbas mundi Salvatori palam præfertur? Nonne denique in his conviviis, unde ſemper exultat temperantia, in his parum Chriſtianis ſolatiis, quæ neceſſarii ſunt innocentiæ ſcopuli, in his nequiſſimis perſonatorum conventibus cum Apoſtolo dici poteſt, Dei Filium millies crucifigi? *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat. Tomo* I.

Intemperantiæ dies ſunt occaſio lapſus peccatoribus & ſcandalũ juſtis.

Circumquaque oculos circumfer, & finge tibi videre, quidquid in mundo fit, tamquam in excelſum montem ſublatus, unde videre valeas quidquid accidit in terris. Vias latronibus repletas, maria piratis obſeſſa, exercitus ſanguinem, flammamque minitantes, foros cauſidicis refertos, atque ſibi invicem belluarium inſtar infenſos; vanarum, vel impudicarum mulierum orbes; juventutem vel corruptam pravis aliorum exemplis, quæ intuetur, vel alios corrumpere conantem ſuis; mortales veneno infectos propter tabidum aerem, quem reciprocant, & qui in unum ſocietatis corpus coaleſcere videntur, ut ſe majori cum furore perdant, non ſecus ac miſeri, qui in communi naufragio ſemet invicem complectentes ſubmerguntur. Hæc omnia primum occurrent animo tuo, & clamabis, quomodo fieri poteſt, ut ſalus in mundo fiat, vel ubi tunc etiam, cum magnæ adſunt ad virtutem propenſiones, mortales fiunt nequam, non ſine quadam ſpecie neceſſitatis, facientes ea, quæ a nefariis hominibus fiunt, ne illorum invidiam, odium, & irriſionem ſibi conflent, & ne ſoli in cauſa bona inveniantur. *Ex Hiſtoricis Sanctorum Elogiis Tom.* I.

Cyprian. Ep. I. ad Donatum.

Quam miſera ſors illorum eſt, qui cum aliquandiu guſtaverint Deum, ei bona fide deſervierint, & vere devoti aliis exemplo præfulſerint; quam miſera inquam ſors illorum eſt, cum ipſos vitæ hujus tædet, & a Dei ſervitute recedunt! Hi lapſus eo magis funeſti ſunt, quia fere ſemper ſunt mortales. In id genus Apoſtatis raro vera datur converſio. Illis, qui pietate deſerunt, idem accidit, quod illis, qui a fide deficiunt, quotuſquiſque ex his ad fidem revertitur? Non deſunt etiam, qui nequiores evadunt illis, qui genere ſuo ſunt infideles. Pauci ſunt pietatis deſertores, qui non ſtatim impingant in omnem licentiam, & plerumque palam, & gravi cum ſcandalo. Ægre quidem Dominus opus ſuum perdit, & amicum detrudit; non ita facile ejus iracundia contra dilectam animam inflammatur. Quot urgentes ſollicitationes adhibet, quot officioſas oblationes, ut prohibeat, ne illa ſe ſeduci permittat? At tandemne hanc animam pertæſum eſt ſervitutis Dei? Decrevitne Dominum mutare? deſertio hæc, atque rebellio fit ſemper magno cum rumore. Seu hæc ſit improba inimici ſalutis noſtræ nequitia, volentis recentem prædam in eum ſtatum adducere, unde nequeat ultra emergere; ſeu affectus ſit improbitatis cordis humani, quod tot timoribus, rationibus, ſtimulis fatigatum uno ictu tot obices ſuperare ſtudet, tot infringere vincula, & tot ſimul importuna lumina extinguere, ſtatim primo impetu in diſſolutiſſimam licentiam erumpitur. Sermones liberi, verba impia, Religionis irriſio; hinc fere initium ducitur, ut profiteantur ſibi nullam eſſe pietatem, & domino mutato mores etiam mutatos fuiſſe. Devotus, qui deſcivit a pietate, nullius rei rationem ſibi putat habendam, ne quis ſibi exprobret, quod fuit, ille prior, quid evaſerit, narrat. Impiæ illius irriſiones modo circa nimiam ſollicitudinem in officiis obeundis, modo circa frequentem ſacrorum myſteriorum uſum verſantur. Hic contra patrem vere Chriſtianum invehitur, illic contra Concionatorem vero ſuccenſum zelo furit. Fieri ne poteſt, ut ille, cui pietas non defuit, nec deeſt ratio, queat non videre, quantum ſibi ingerat probrum hæc mutatio in populo, cujus fabula factus eſt, & coram Deo, qui illum perhorreſcit? Proh Deus, quam longe recedit a te, qui a tuo cultu recedit! *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Ebrietas vitanda.

Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, inquit, Apoſtolus Eph. 5. quæ verba monitum ſimul, & documentum complectuntur. Monitum, vel potius juſſum eſt, intemperantiam, & vini exceſſum evitandum; documentum vero, vinum, ſi hauriatur immodice, ad luxuriam adducere; addit enim corporis vires pernicioſas, noxium calorem, carnale gaudium, audaciam præfidentem, & cum hoc gignit oblivionem Dei, rationem auferens, vel perturbans. Ob hos pravos effectus S. Aug. Ep. 93. ebrietatem peſtem appellat, vitium commune, cujus imperium admodum prævalet, & late patet. Utque hujus majorem horrorem infidelibus cieret, Apoſtolus addit, ex eo libidines, & impudicitias ortum habere; nam licet *luxuriæ* nomen deſumi poſſit pro omni intemperantiæ genere, notæ melioris interpretes, putant hic ſecundum Apoſtoli mentem indigitari impudicitiæ crimina, quæ plerumque ex intemperantia originem ducunt. *Tourneux in anno Chriſtiano.*

S. Cyprianus cauſas explicans, propter quas permittit Deus, ut ſui exagitentur, eas ita exponit. Quilibet in id unum intentus erat, ait, ut diteſceret, & oblitus quid primi Chriſtiani fecerant ævo Apoſtolorum, & quod ſemper eſſet faciendum, tanta flagrabat libidine augendi bona, ut ſe numquam ſatis divitiarum adepturum putaret. Nulla erat in Sacerdotibus pietas, nulla in Eccleſiæ miniſtris fides; nulla in moribus diſciplina, nulla in operibus charitas. Mulieres fuco faciem liniebant; viri comarum colorem mentiebantur, & artem in hoc conſtituerant. In eorum oculis, ac nictibus neſcio quid laſcivum deprehendebatur; multum calliditatis in verbis, ut ſimplicioribus fucus fieret, & ut viciſſim ultro citroque ſemet ipſos deciperent. Non ſolum ſine ulla neceſſitate jurabant, verum etiam pejerabant. Superiorum mandata intolerabili ſuperbia contemnebantur. Proximo obtrectare nemo verebatur, & odia internecina diu fovebantur. Præſules plurimi, quorum erat verbo & exemplo populis pietatem ſuadere, divina negligebant, ſedem deſerebant, relinquebant gregem, & in remotiſſimas terrarum plagas ſe conferebant ad ſordida negotia, & dignitate ſua indigna procuranda. Nemo ſollicitus erat, ut fidelibus graviſſima egeſtate laborantibus ferret opem; aurum dumtaxat congerebatur; aliena bona ſurripiebantur; & multiplici fœnore propria augebantur. Hanc malorum ævi ſui tabulam ſanctiſſimus Præſul exhibet nobis, & utinam hoc quoque ævo ſimilia his mala non furerent. *Cardinalis Bellarminus de gemitu Columbæ.*

Publica potiſſimum ſcãdala intuiti Deo arctius inhærere debemus.

Abducemini Babylonem, idololatriæ centrum, in captivitate, dicebat Dominus Iſraelitis per os Prophetæ: videbitis in hac civitate populum inſipientem ſequi Deos ſuos conflatiles, atque lapideos, qui per compita, & vias magna cum pompa circumferuntur. Sed cavete, ne deteſtabile exemplum vos trahat; præbete mihi honorem debitum, ac taciti in corde veſtro dicite: *Te oportet adorari, Domine*; Baruch 6. Utamur iis præcautionibus, quibus utebatur Deus populum a mali exempli contagione præſervaturus: hoc enim non minimum eſt ſaluti obſtaculum illi præſertim, qui in ſæculo pluribus impedimentis implicitus eſt. Religio ibi a fundamentis concuſſa eſt; ſancta illius inſtituta ad ludibrium uſque impugnantur; cumque vel inviti ſimus horum teſtes ſcandalorum, in nobis ſitum eſt, utrum in eorum partem accedamus. Quod mundus in hæc mala ruat, in luxum effrænem, in turpiſſimam licentiam, in nequiſſimam impietatem; hæc illius ſunt idola; mirum videri non debet, ſi illis ſacrificat. Qui credit Evangelio, qui huic ſuos mores conformat, non ægrius ab his abſtinet flagitiis, quam ſi illa ab idolorum cultoribus patrari conſpiceret. Mirum ne videretur vobis intueri Ethnicos in omne nefas ruentes? Et illorum exemplum vobis eſſe debet cauſa, ut minus officia veſtra ſectemini? Eadem habetis arma contra ſcandalum, & idololatræ, & mali Chriſtiani; eædem veritates contra utrumque ſuſtinere vos debent: *Te oportet adorare, Domine. P. Segneri in Meditationibus.*

Licet ſcandalum eſſet generale, tunc glorioſum eſſet ſtare ſolum pro veritate & Religione.

Mundi ſcandalum periculoſa eſt tentatio propter numerum præbentium illud; ſed quo major eſt tentatio, eo glorioſius eſt fideli eam ſuperare. Cæterum periculi magnitudo non excuſat illos, qui cedunt; neque ulla vobis ſalus eſt, ſi vobis deeſt fortitudo reſiſtendi adverſum multitudinem inſipientum cultorum ſæculi. Licet omnes ſimul homines JESU CHRISTI diſciplinam conculcarent, horum tamen tibi exempla ſequi non liceret; tibique glorioſius eſſet, ſolum eſſe, qui ut olim Tobias Deum coleret, ſanctamque illius legem adoraret: *Cum irent omnes ad vitulos aureos* . . . . pergebat *in Jeruſalem ad templum Domini*. Tob. I. Præterquam quod conceptus ingentis hujus numeri mundanorum, cui tibi reſiſtendum eſt, phantaſma eſt quod non niſi imbecillimum animum terrere poteſt. Nonne teſtatur JESUS errantium ac pereuntium numerum multo majorem eſſe? Hujus veritatis certi, quin multitudinis timore deterriti in illius partem concedamus, nihil magis vereamur, quam ut in illa numeremur. Peccatores, inquit Propheta Pſalm. 48. ſe ſe præcipites dant in infernum, quin animadvertant, quo tendunt, ſimiles ovibus, quæ præcedentem ſubſequuntur. *Sicut oves in Inferno poſiti ſunt. Idem.*

Cum aliquamdiu in Dei cultu verſati ſumus, & tandem eo pervenimus, ut magnas Religionis veritates faſtidiamus, quamprimum earumdem obliviſcimur. Numquam parum aberramus, ubi bona via ſemel cognita, pertæſi ejuſdem ab illa recedimus. Quodnam morum, ſenſuum, vitæque diſcrimen inter eum, qui vere pius eſt, & eumdem, qui ſuæ indulgens libidini habenas laxavit? Quænam proximo ſcandali cauſa! Ad quem iniquitatis & nequitiæ gradum non pervenitur! Suavis, humilis, officioſus, beneficus (qui enim ſincere pius eſt, & Deo fideliter ſervit, haſce omnes obtinet qualitates) quam præfert omnibus in occaſionibus ſapientiam, prudentiam, probitatem! Matrona hæc magnis Religionis noſtræ veritatibus imbuta nulla afficiebatur lætitia, niſi ex ſolidæ pietatis praxi, & in mundo vivebat, quin mundi placita ſequeretur. Morum ſanctimonia, modeſtia, & in officiis ſuis obeundis cura præclaris ejuſdem virtutibus recentem afflabant decorem. Invidia ejus virtutem verebatur, & ab omnibus in mundo tamquam nobilis mulieris exemplum habe-

habebatur. Monialis hæc virgo poſito vix Religionis tyrocinio ſenioribus erat admirationis cauſa propter teneram pietatem, atque fervorem. Quis crediſſet futurum, ut adeo ſolida veritas aliquando evaneſceret? Sed quod putreſcenti trabi, vel parieti vitium facienti conſultum minime fuit, totum corruit ædificium. Exilis in rate rima funeſtiſſimi naufragii cauſa extitit. Aurum hoc adeo pretioſum, fulgorem amittens, omne amiſit pretium. Virtus hæc adeo fulgida caliginem duxit. Sed poſſibile ne eſſet verbis oſtendere ſcandalum, quod inde provenit, non conſanguineis tantum, ac familiæ, ſed civitati, & forſan toti etiam provinciæ? Adoleſcens ille adeo ſcitus, æquus, & optime inſtitutus, hæc omnia eſſe deſinit, ubi a pietatis ſuſcepto tramite defecit. Chriſtiana Matrona hæc non agnoſcitur ultra, ex quo mundana facta eſt, ex quo vitæ ſeveritatem laxavit. Vaſa hæc electionis, & pretioſa eumdem exitum habuere, ac fictilia, quæ ubi primum labuntur, confringuntur. Salomon perditus, & Apoſtolus Apoſtata, & proditor factus ſatis ſuperque probant, eum, qui vere pius fuit, ac Dei gratiam guſtavit, & labitur, numquam in criminis mediocritate quadam conſiſtere. Diceres fidem, mentis ſanitatem, rationem cum ipſa pietate interire. Hoc autem quem ſenſum gignit in eorum animo, qui adeo nefaria exempla, & adeo miram mutationem intuentur? Quid de hujuſmodi perſonis cogitari poteſt? niſi poſt maturam præcedentis ſtatus ſui animadverſionem, tandem agnoviſſe, quod pietas eſt verus error, & illuſio mera animarum vulgarium, & inſipientium. Quod ſcandali argumentum? *P. Croiſet in Spiritualibus Exercit. T. 5.*

Quam nobis metuendum ſit ſcādalum, quod præbemus aliis noſtra licentia.

Intelligamus, quanti noſtra referat vitam ducere prorſus oppoſitam ei vitæ, quam adhuc ſervavimus, propter ſcandalum, quod adhuc fratribus noſtris præbuimus flagitioſam vitam ducentes. Quo uſque malum non proceſſit; quia non ſolum auſi ſumus Deo adverſari, verum etiam de ſceleribus noſtris egimus triumphum. Quot animas perdidimus, earum improbitatem pravis exemplis noſtris probantes, præſertim vero ſi quis conſtituti ſumus in dignitate? Numquid non ſero nimis opem afferemus, ut educamus illas de abyſſo, in quam eaſdem conjecimus? Numquid nobis ſatis præſumptionis eſt, ut credamus, fere ut poſſimus ſuſcitare mortuos, infernum aperire, & de inexorabilis Judicis manu revellere victimas, quas ejuſdem ultioni objecimus? Perſona hæc caſta eſſet, niſi nullo habuiſſemus in diſcrimine primos ignes libidinis illius, niſi prioribus turpis commercii ſignificationibus velificati fuiſſemus; niſi primos pudori ipſius laqueos tetendiſſemus. Hæc nequaquam in omnem licentiam ſemet proſtituiſſet, niſi adeo jucundis coloribus mundum adeo ſuavem illi exhibuiſſemus, niſi illam turpibus aſſentationibus pellicere ſtuduiſſemus; niſi illam ſollicitationibus, ac pollicitationibus pertrahere conati fuiſſemus. Nonne ipſi prima pietatis ſemina jugulavimus in adoleſcentis illius corde? Nonne huic perſuaſimus, ſeceſſum, ſilentium, ſolitudinem bubonibus, noctuiſque eſſe relinquendam? Adoleſcentiam, formam, ac veneres, quæ illi comites accedunt, habere tempus ſuum, iiſque prodeundum eſſe in lucem, & honeſtorum hominum cœtum? *P. la Peſſe, Tomo 3.*

Non ſatis eſt, non eſſe ſcandalo, ſed etiam proximus ædificandus eſt.

Præceptum, quo prohibentur homines proximo ſcandalum afferre, non eſt ſolum negativum, verum affirmativum quoque eſt, noſque jubet, eidem bonum exemplum præbere. Alioquin omnino munus noſtrum adimplere non poſſumus. Præcipit Dei Filius, ut chriſtianæ vitæ ratione fratres noſtros ædificemus. Mandatum, quo jubemur proximum noſtrum diligere, peculiariter jubet, nos illius ſaluti conſulere; nemo eſt, qui facere nequeat, & debeat non ſolum non afferendo ſcandalum cuipſiam, verum etiam bonum præbendo exemplum unicuique pro ratione ſtatus, in quo nos Providentia conſtituit. Si bonis auctoritas eſt, ſi opes, ſi exiſtimatio, ſi talenta ſive a natura donata, ſive acquiſita, jubet Deus nos iiſdem uti, ut numerum ſervorum illius augeamus. Quicumque ſceleris alicujus curſum prohibere valens, oriatur, & nullo habet in diſcrimine ea, quæ ad Deum, & Religionem pertinent, culpa non vacat. Quicumque a Deo iis ornatur prærogativis, quibus præditus efficere poteſt, ut virtus ametur, colatur, exerceatur, & vitium ſua puniat auctoritate, vel ejuſdem horrorem cieat bonis exemplis, ſed id facere negligit, non ſolum non fungitur munere ſuo, ſed ſe dupliciter præbet nocentem. Cumque plurimi ſæpe & auctoritate, & exiſtimatione, & officio careant, ecce quid ſaltem a Chriſtianis omnibus exigat Deus. Tenentur omnes fratrum ſuorum ſalutem procurare, optare, pro illis orare, eoſque optimis exemplis ædificare. Nobis omnibus mundi Salvator dixit Matth. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cœlis eſt.* *Labert in anno Evangelico Tom. 7.*

Væ illi per quem ſcandalum venit. Ex his Domini verbis intelligimus nobis perquam ſedulo evitandum eſſe, ne fratribus ſcandalum ingeramus non ſolum pravis actibus, verum etiam factis iis, quæ omni vacant culpa, cum non ſunt neceſſaria; hoc eſt præter actiones illas, quas ex officio facere tenemur, alias non eſſe exercendas, ſi illinc alii ſcandali occaſionem poſſint percipere. Verum eſt tamen, ubi aliquis arripit ſcandalum ex eo facto, cui divina lege interdictum non eſt, injuria alias ſcandalizari. Verum ex altera parte, ſi certi ſumus factum hoc aliis lapſus occaſionem futurum, nobis eſt abſtinendum. *Terneux in anno Chriſtiano Tom. 6.*

Infirmis eſſe ſcandalo non minimū eſt peccatū.

Quandoquidem Dei Filius ſibi factum judicare vult, quidquid in gratiam humilium factum fuerit, mirum eſſe non debet, ſi ſe læſum putet, ubi illi læduntur; & ſi graviſſimas illis pœnas intentat, qui eoſdem ſcandalo afficiunt, ſeu illos contemnendo, ſive alia quavis ratione. Scandalum vocatur, quidquid efficere poteſt, ut homo ambulans ruat impingens in lapidem, quem fortuito offendit, vel laqueum, qui data opera eidem poſitus fuit. Ita ſcandalo cuipiam eſſe, eſt illi occaſionem præbere lapſus alicujus, quemadmodum, ſi illum contemnentes, vel lædentes ſumus in cauſa, ut vel animos deſpondeat, vel ſuccenſeat; ſi pravum illi dantes conſilium, vel exemplum in crimen aliquod impellimus. Salvator igitur, qui omnes humiles amat, non patitur, his ſcandalum præberi, videlicet, hos lædi, contemni, his tendi laqueos, & poni offendicula, ut decidant, hos a recta, in qua ambulant via, deterreri. Qui impune abire non ſinit leviſſimum quodlibet malum illatum ſuis, perinde ac ſibi illatum fuiſſet; non patitur, ut dejiciantur in malorum omnium graviſſimum, peccatum videlicet, quin ſeveriſſimas exigat pœnas ab illo, qui adeo parum ipſum reveritus fuerit, ut illos lædens ipſum quoque laceſſiverit. *Auctor recens.*

De ſcandalo paſſivo & quomodo oboveniat.

Væ illi, per quem ſcandalum venit, ubi culpa ejuſdem acciderit. Duplex ſcandali genus diſtinguendum eſt, quorum alterum datum, alterum acceptum. Ubi quis alteri culpa ſua ſcandalum ingerit, datum eſt; ubi vero aliquis temere ſcandalizatur, ob bonam alterius actionem, hoc ſcandalum eſt acceptum. Cum cibus optimus nocet ſtomacho vitiato; non cibo ſuccenſendum eſt, ſed pravæ ſtomachi affectioni, qui cibum, quo alendus eſt, in virus convertit. Præter ea, quæ a nobis fieri noſtrum expoſcit officium, nihil faciendum eſt, unde alii ſcandalizentur. Non ſolum nobis evitandum eſt, ne fratribus noſtris per noxia facta ſcandalum ingeramus, verum etiam ne ingeramus per ea, quæ omni culpa vacant, cum neceſſaria non ſunt, neque ullo arctæ obligationis vinculo ea facere tenemur. Verum quidem eſt, ubi aliquis ſcandalizatur facto, quod lege divina minime prohibetur, injuria illum ſcandalizari; quippe ſcandalum acceptum eſt; Sed ſi mihi exploratum, compertumque erat hanc illi lapſus occaſionem futuram; facto mihi erat abſtinendum, & id faciens non ſine crimine ſcandalum præbui, atque tunc ſcandalum datum eſt. *Auctor recens.*

Exceptis iis quæ inevitabilis ſunt neceſſitatis omnia nobis fugienda ſūt, quæ proximo ſcandalum poſſunt afferre.

Non ſatis eſt id facere, quod per ſe licet; neque enim licet amplius, ſi liquet futurum, ut aliquis inde ſcandali occaſionem arripiat; & infectum relinquendum eſt, dummodo illud ex aliqua neceſſitate præſtare non teneamur. Palam docet S. Paulus, ei, qui tunc facere vellet, deeſſe Charitatem, & hoc eſſe peccare in fratrem ſuum, & reſiſtere fructibus, quos ille ex Salvatoris morte debet recipere. His poſitis mirum ne debet eſſe, ſi Dei Filius intentat væ illi, cujus culpa ſcandalum acceſſerit; & ſi edicit, melius illi futurum ſi revincto ad collum lapide projectus fuiſſet in mare, quam ſi minimo fidelium ſcandalo extitiſſet? Salvator poſtquam diſcipulos ſuos docuit, ſcandalum nemini eſſe præbendum, eximiam eis tradit regulam evitaturis, ne ſibi ſcandalum præbeatur: *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te; abſcinde eum, & projice abs te.* Matth. 18. Qua in re nobis Salvator oſtendit, quanti momenti ſit, non ſolum in æquiorem, quoad fieri poteſt, partem proximi noſtri facta interpretari: ſed ſi negari nobis videmus locum id faciendi, evitare cœtus; ac particulares perſonas, quæ nobis ſunt ſcandalo, & generatim fugere occaſiones, in quibus periculum eſt, ut ſcandalizemur. *Auct. recens.*

Mundus ſcandalis refertus eſt, & ſcandala efficiunt, ut fideles corruant. Quid ergo faciendum ubi noſmet infirmos cognoſcimus, ac timemus lapſum; niſi recedendum ab iis rebus omnibus, quæ nobis ſcandalum poſſunt ingerere? Sed aliquando quod nobis lapſus occaſio eſt, nobis placet, & fortaſſe etiam nobis non modicæ neceſſitatis videtur. Perſona, quæ efficit, ut labamur, nobis chara eſt; officium hoc in quo permanere non poſſumus, quin pereamus, nobis ad victum eſt neceſſarium. Obices iſti ſunt non ita levi negotio ſuperandi; ſed huic J. C. argumentationi reſiſtere nequeunt. Niſi mortem poſſes effugere, quin oculum vel aliud membrum amitteres, hoc ultro abjiceres, ut temporali huic vitæ proſpiceres; quanto magis ferenda tibi eſt omnium corporis tui membrorum jactura, ut ita mutilus in Cœlum admittaris, quam omnia corporis tui habentem membra mitti in æternam abyſſum, ubi nulla ſuperanda fuga eſt, ubi redemptio nulla? Nihil tibi ſalute tua debet antiquius eſſe; hoc poſito, quod certiſſimum eſt, ſi membra ſervare nequis, quin Deum laceſſas, illa potius omnia perdenda ſunt, quemadmodum Sancti Martyres exemplo docuere. Si qua igitur perſona, ſi quod negotium, ſocietas, munus nobis eſt occaſio peccati; præſtat jacturam facere bonorum omnium, quæ inde percipere poſſumus. *Auctor recens.*

Pravum exēplum principum paſſim lex eſt populo.

Pravum Principum, & ſuperiorum exemplum peccati qualitatem confirmat. Hi enim cum plurimum poſſint in republica, cum ſubditis, atque inferioribus ſuis motum tribuant, illos etiam trahunt poſt ſe in malorum abyſſum, ac de illorum ſceleribus ſunt rationem redditurі. Populi gloriæ ſibi vertunt ſequi, & imitari mores, ac ritus principum; & hoc pacto vitium in legem migrat, & enormia quæque flagitia fiunt mores regni totius, atque reipublicæ. Item cum Eccleſiaſtici viri ſanctitate, dignitate, exiſtimatione, & ſaltem aliqua pietatis opinione in mundo fulgentes labuntur, & mores, ſenſuſque mutant, longe nocentiores ſunt illis, quibus mediocris virtus ineſt: nam præter ſcandalum, quod præbent infirmis, quos trahunt in ſententiam ſuam, atrocem quoque injuriam, inſignemque inferunt contumeliam virtuti, quæ præterquam quod paucos habet ſectatores in ſæculo, flagrat etiam infamia propter ſcandala, quæ illi populo præbent. *P. Antonius de S. Martino a Porta in libro cui titulus: Les Conduites de la Grace.*

Majora ſcandala proficiſcuntur potius a libris nefariis, quā a pravis exemplis.

Non illi ſolum, qui peccant, & qui gloriantur, qui peccaverint, ſcandalum afferunt; longe gravius illud malum eſt, quod gignunt auctores librorum, præſertim vero carminum laſcivorum; quia clanculum, atque per cuniculos quaſdam pus, atque venenum irrepit facile in animas propter otium, quo guſtari poteſt, eique impenſius animus advertit. Adde his blandam illam efferendi rationem mala dogmata, quæ in ſcriptis ſuis venditant, ubi ſemper in jocum traducunt & virtutem ipſam, & eos omnes, qui illam profitentur. Morum quippe nequitia ſcopus eſt, quo tendunt, & flagitioſum vivendi genus apud illos eſt eſſentiale lepidi, feſtivique viri attributum: ita ut homo plus æquo in omnem licentiam effuſus ſemper poematibus, & carminibus ſuis votorum ſummam conſequatur. Caracterem hunc omni, qua pollent, induſtria, tuentur; hunc præ cæteris celebrare conantur, atque ornare locis ſplendidioribus prout pluribus vitiis deformis eſt. His autem curis omnibus ſe ſe torquent, ut tutius placita inſinuent ſua, videlicet, licentiam, ac irreligionem veræ magnitudinis, ac veri meriti certiſſima eſſe argumenta. Hinc fit, ut qui nominis ſui curam gerit, omnia abjiciat virtutis principia, ſe ſe in ſcepticum erigat, & elata fronte in omne vetitum ruat. Hujuſmodi ſcriptores operam navant, ut externam ipſam virtutis ſpeciem in ludibrium traducant. Viro probo, qui ab omnibus talis habetur, atque probatur, ſemper appingunt oris ſpeciem tetram, moleſtam, ridiculam, contemptibilem; cum interim flagitioſo tribuant venuſtatem, moreſque omnes, quæ amorem ſibi conciliant. Hæc omnis contentio opus eſt odii, quo virtutem, & amoris, quo vitium proſequuntur. Hinc facilis patet conjectura, utrum hæc ſcripta ſint pernicioſiſſima ſcandalorum, quæ accidunt, origo nec ne. *Recens Auctor.*

Jure dici poteſt, omnia in mundo ſcandalum eſſe: nihil enim ibi eſt, quod non velificetur vitiis, & ad virtutum contemptum, excidiumque non tendat. Audite mundanorum ſermones, & colloquia: vix tria proferent verba, quin vos in peccatum impellant vel blaſphemiis, vel irriſionibus, quibus virtutem in jocum traducunt, vel increpationibus, & calumniis, quæ nonnumquam optimum quemque ita perturbant, ut eorum labefactare conſtantiam, & patientiam valeant delaſſare; vel pernicioſis conſiliis, quibus ſub amicitiæ ſpecie majorem vobis inferunt contumeliam, quam convitiatores, qui palam honorem, vitamque veſtram laceſſunt: *Væ mundo a ſcandalis.* Matth. 18. Facta eorum nequaquam meliora ſunt verbis. Hic tibi eripit bona, vel vi, vel lite, & cavillationibus; ecce iræ, & ultionis argumentum. Ille tuam lædit famam, eique omnibus in cœtibus meræ loliginis ſuccum conatur adſpergere; id tuum inflammat odium, & parit diſſenſionem. Hic tibi minitatur, & pollet auctoritate, atque vi; noſti illum tibi officere poſſe ac prava ejus in te voluntas tibi eſt comperta; hæc tibi timoris eſt cauſa perennis. Ille tibi blanditur, fallacibuſque promiſſionibus, quas inanes eſſe certo ſcis, os tibi ſublinit. Hoc illicium eſt, & proculdubio laqueus, ut in præceps ruas, unde tibi difficile ſit effugere. *Væ mundo a ſcandalis. P. Novet in Meditatat. ſuis.*

Mundum ingreſſi facilius mundi, quam Evangelii ſpiritum invenimus.

Mundi mores, & conſuetudines prævalent ſemper illis Religionis, ejuſque placita Evangelicis inſtitutis. Vix in puero ſe ſe expediit ratio, cum mundi ſpiritus illam invadit. Non alia ei traduntur præcepta; re adhuc integra pernicioſam invenit ambitionis, luxus, vanitatis domi ſuæ ſcholam. Conſanguineorum ſermones prorſus mundani, & plerumque praviſſima exempla, tamquam propotypi proponuntur illi; & poſt hæc miramur, morum corruptionem eſſe adeo univerſalem, & ſpiritum religionis extingui. *Non permanebit ſpiritus meus in homine*, dicebat Deus ante diluvium, quo tempore ad iracundiam irritatus in omnem terrarum orbem ſæviſſime animadverſurus erat. *Non permanebit Spiritus meus in homine*; quia homo caro eſt, & vivit ſecundum carnem. Numquid non æque poteſt Deus hodierna die ſimilem in nos proferre ſententiam? Et quonam ſæculo id potuit æquius, quam hoc, dicere maximam eſſe hominum in terris improbitatem; & omnes cogitationes cordis eorum in malum intentas eſſe? *P. Croiſet in Aſceticis Exercit. Tom. 5.*

Quonam ſæculo verius dici potuit, quod *omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram*, quam noſtro hoc? Experientia duce videmus, ſpiritum carnis in mortales omnes effuſum terram omni vitiorum genere inundaſſe. Quænam ætas, quæ conditio, qui ſtatus, ubi voluptatum amor, ubi cupiditas, ambitio, luxu, impudicitia non dominentur? Mundi ſpiritus ubique ferme regnat; ubique triumphat iniquitas. Pudet potius eſſe Chriſtianum, vel talem videri, quam in cœtibus peccatorem videri pudeat. Flagitioſus homo, mundana mulier merito ſibi vertit ſuam inverecundiam, ac religionis defectum, & jactitat, ſe de præcipuis fidei veritatibus ambigere, & omnibus prorſus conſcientiæ ſtimulis, ſcrupuliſque carere. Vitium omnes cancellos fregiſſe videtur; diceres torrentem eſſe, qui omnia Religionis, inſtitutionis, rectique ſenſus valla proſtraverit. Solitudo, deſertum, ipſa etiam clauſtra, ſacratum pietatis chriſtianæ perfugium, hanc tot vitiorum colluviem ſentiunt. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Ubinam hodierna die eſt rectitudinis, rectæque fidei aſyllum? Una tantum familia ab univerſali iniquitate immunis invenitur. Ita diluvii tempore felix iſta familia ex univerſali naufragio evaſit. *Idem ibidem.*

Levis pictura malorum, quæ per ſcandalum accidunt in Mundo.

Arduum eſſet aſſequi quot accidant in mundo mala per ſcandalum, pravumque exemplum. In omnibus fere ſtatibus, vitæque conditionibus quilibet gloriæ ſibi vertit ſuam iniquitatem. Paſſim intuemur domos patentes impudicitiæ, atque intemperantiæ. Interſumus mortalium cœtibus, ubi plena omnia ſunt occultis artibus, ardentiſſimis, iiſque inhoneſtis affectibus. Nemo religioni ſibi vertit intuentium oculis objicere tabulas, ubi eadem natura coloribus imbuta exhibetur; & amor impurus anima eſt, ac deliciæ earum ſocietatum, quæ maxime nitent. Nemo ibi dominatur, niſi qui hac in re ferventior eſt. Scandalum in ipſum uſque Sanctuarium, ad aras uſque defertur, ubi de amatoriis nugis verba facere gloriæ ducitur. *Peccatum ſuum prædicaverunt*, inquit Propheta, *nec abſconderunt*. Malum eo uſque proceſſit, ut obex difficillime ſuperandus iis, qui virtutis tramitem ſequi ſtudent, ſit timor, ut virtute præditi videantur. Tantum abeſt, ut mundi oculos fugiant, ut omnibus ſe deſtitutos meritis credant, niſi omnia illius placita fuerint amplexi. Audax hæc impudentia hodierna die ita mortalium auget licentiam, & tot animas in viam perditionis abducit. Non ambigimus tot hominum exempla ſequi, qui tuto ſe ambulare arbitrantur, & facile credimus citra religionem fieri a nobis poſſe, quæ tam audacter ab aliis fieri conſpicimus. Verum licet admodum pauci viam virtutis ſequantur, ac omnes fere in omnia proruant flagi-

flagitia. nobis ſemper pro virili adnitendum eſt, ut in maxima mundi corruptione Chriſtianam vitam ducamus. *Auctor recens*.

Moyſes punitus, quod populo præbuit ſcandali occaſionem.

Neque me exagerare exiſtimetis; nihil non divinis probatum oraculis loquor. Moyſes, qui tot operatus fuerat miracula, qui pro ingratis ſe ſe tot periculis objecerat; magnus ille vir aditu Chanaanitidis ejuſque poſſeſſione prohibitus fuit, quia qui illi circumſtabant, ex eo ſcandali occaſionem arripuerunt. Quia mihi non credidiſti, dicit illi Dominus, neque honoraſti me coram filiis Iſrael, ideo non deduces populum in Terram promiſſam. Quibuſdam in occaſionibus Moyſes parere detrectaverat; bis, terve in Ægyptum pergere abnuerat populum liberaturus; defuit illi confidentia, cum dixit Deo: Præſum ſexcentis hominum millibus, & vis eos a me ali in deſerto; ubi nam reperiam oves, & boves, ac tot alia tantæ multitudini adeo neceſſaria? Ægre etiam ſubiit populi regendi provinciam; nihilque illum Terræ promiſſæ aditu prohibuit, niſi occaſio, quam populo præbuit ſeſe ſcandalizandi. Peccatum hoc erat omnium minimum, ſed punitum fuit tamquam maximum, propter effectus, & damnum, quod aliis afferebat. *S. Chryſoſtomus in opuſculis*.

Viri principes nocentiores ſunt, cum præbent ſcandali cauſam.

Summus Pontifex quidam in epiſtola quadam ad ævi ſui Imperatorem data inter cætera præclara, hoc habet: *Majora facit crimina dignitatum ſublimitas*. Quo potentior quis eſt, quo magis genere, honoribus, dignitatibus nitet; peccatum illius eo majus eſt, & malum quod patrat, eſt eo gravius. Quod dicitur de generis prærogativa, dici poteſt etiam de donis omnibus, quibus præ reliquis tollimur, & præ aliis eniteſcimus. Quis enim poteſt ambigere, peccatum eo majoribus pœnis eſſe puniendum, quo majori cum cognitione, & clariori bonum inter, & malum diſtinctione fuerit patratum? Hac in re Spiritus ſanctus ait: Sap. 6. *Potentes, potenter tormenta patientur*. Optimo præditus es ingenio, mente perſpicua, ſano judicio, egregia memoria; quotidie documenta recipis a tot viris, quibus inſigne lumen affulget, a tot concionatoribus. Heu! mentem hanc tot luminibus recipiendis parem, tot præclaris imbutam cognitionibus, judicium hoc adeo ſolidum, memoriam hanc adeo felicem, hæc omnia bona impeditis, ut committatis hanc injuſtitiam & impietatem, ut voſmet effrænatis cupiditatibus mancipetis, ut auctoritate veſtra aliena bona invadatis, ut viduam, & orphanum opprimatis, ut fortaſſe graviora flagitia committatis? Nonne hoc eſt abominationes abominationibus addere, eaſque in æternum inexpiabiles addere? *P. Antonius de S. Martino a Porta, & recens Auctor*.

SERVITUS DEI.

Quam ſuave ſit ſervire Deo; & quam præſtet huic ſervire, quam mundo, Fidelitas in ſervitute Dei.

MONITUM.

De fervore in ſervitute Dei, de bonorum operum praxi, de fidelitate in modicis rebus, de evangelicæ legis ſuavitate, de mandatorum Dei obſervantia, de captivitate mancipiorum mundi, deque aliis pluribus argumentis cum eo, de quo hic agimus, rationem, aut nexum aliquem habentibus alibi jam ſermo fuit; quod tamen non prohibet, quominus Dei ſervitus generatim ſumpta, ac a circumſtantiis, vel peculiaribus modis ſerviendi majeſtati Dei ſejuncta ſit, argumentum utile, & ſuggeſtui accommodatum; quoniam alia quæcumque argumenta huc referuntur, & hic eſt fructus ex aliis omnibus ſermonibus percipiendus.

Fatendum eſt tamen, quemadmodum hoc argumentum omnem chriſtianam complectitur diſciplinam, omnium præceptorum obſervantiam, omnium virtutum praxim, omniumque vitiorum fugam, concionem nimis late vagaturam, niſi in generali theſi ſubſtiteris, quin excurras in prolixas inductiones eorum ſtatuum, qui pro Dei cultu magis ſunt utiles; quales ſunt ſtatus eccleſiaſticus, & ſtatus religioſus, cujus obligatio adhuc gravior eſt. Sed ſuadendum eſt tantummodo, ut Chriſtiani ſupremo huic Domino ſerviant, ac exponendæ cauſæ, quibus ad id adiguntur, ex Chriſtiani qualitate deſumptæ, ex profeſſione, quam in baptiſmo emiſerunt, ex Dei beneficiis, ex remunerationibus, quas ille ſervis ſuis pollicetur, ac præſertim ex dignitate, & gloria, quæ illi inſervientibus cedit.

Cavendum eſt quoque, ne argumentum hoc ita diſtinctum cum devotionis argumento confundatur, de quo ſuo loco actum eſt; nam licet hæc duo argumenta unum tantummodo videantur conficere, ſolaque tractandi ratione differant, & quidquid de alterutro dicitur, de altero quoque dici poſſit, operæ pretium cenſuimus illa ſejungere, quia utrumque ſatis copiæ ad varias concionum ſtructuras ſuppeditant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructuræ.

Oſtendam vobis hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis. Joſue 24. Nequicquam ſe liberum eſſe mortalis gloriatur, quantumvis libertatis ſuæ acer aſſertor, quippe eam tamquam ſuæ naturæ prærogativam conſiderat; ubique dominum quærit, ac libenter ſe ſe mancipat illi, qui prior occurrit corde, & affectu adhæreſcens vitæ hujus bonis, quorum ſe voluntarium efficit mancipium; hujuſmodi ſunt opes, honores, voluptates, omneſque animi ægritudines, quæ ſunt velut imperioſi tyranni, quibus per ſummum dedecus obtemperamus. Ergo vero vobis oſtendam, quinam ſit legitimus Dominus, cui unice obſequium noſtrum devovere debemus. Hic autem non alius eſt, quam Deus, qui profecto ſupremus eſt cœli, terræque dominus, ſed qui præſertim erga homines dominorum omnium & maximus, & optimus eſt. Dico 1. maximum eſſe, cujus magnitudo ad dignitatem, atque incomparabilem honoris gradum attollit eos, qui ſunt ex numero famulorum ſuorum. 2. Optimum dico, illum videlicet, cui inſervientes maxima perfundimur voluptate; illum, cui facilius gratificari poſſumus, & a quo uberiorem mercedem ſumus conſecuturi. Ita magnitudo Domini, cui famulamur, gloriam noſtram conſtituit, & nos cogit ſuſtinere glorioſam qualitatem ſervorum tanti Domini. Bonitas vero, & ſuavitas ejus exigunt, ut propter noſtram utilitatem illi fideliter ſerviamus, & propter magna bona, quæ eidem inſervientes recipimus. Duplici verbo; magnitudo, & bonitas, duæ ſunt cauſæ, quibus agi debemus ad illum nobis in Dominum eligendum, ac nos illius famulos profitendos: *Oſtendam vobis, cui potiſſimum ſervire debeatis*. Joſue 24.

Pars prima. Deus eſt magnus Dominus. Hæc prima eſt ratio, propter quam illi ſerviendum eſt. 1. Magnitudo ejus; hoc eſt naturæ ipſius præſtantia, & ſupremi hujus entis præ reliquis omnibus altitudo confert illi jus imperandi, omnibuſque creaturis intelligendi vi præditis indicit inevitabilem eidem ſerviendi neceſſitatem. Hæc veritas eſt, atque principium, quod ſolis indiget rationis luminibus; atque ſuper hoc fundamento Philoſophus omnem conſtituit politicam, eum videlicet, qui in vita civili, non ſecus ac in natura aliis ſuperior eſt aliquo præſtantiæ, ingenii, nobilitatis, doctrinæ titulo, jus habere acquiſitum, & naturale imperandi, atque rectum ordinem poſcere, ut qui illi inferior eſt, eidem obſequatur.

Hoc autem poſito quanta eſt ſupremi hujus hujus Entis ſupra nos excellentia? Angeli ſibi gloriæ vertunt quod electi ſint ejus miniſtri ad imperata facienda; creata omnia, cœli, ſydera, elementa obtemperant; homines vero, a quibus voluntariam exquirit ſervitutem, ſibi gloriæ non ducent tanto huic Domino famulari? Nonne illi qualitatem hanc cæteris quibuſcumque præferre debent? Illi ſudore ſuffundi ne debent, quod huic famulantur; divinum hunc Dominum cogere, ut ipſum talium pudeat famulorum? Nonne potius illis gloriandum eſt ob hunc titulum ſecundum veterum Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum exemplum, qui nihil glorioſius eſſe poſſe crediderunt? Nonne ipſis totis viribus conandum eſt, ut illum mereantur ea facientes, quæ digna ſunt Deo, ut loquitur S. Paulus: *Ut ambuletis digne Deo*? 2. Deus propter ſupremam magnitudinem ſuam ſupremum habet dominium in omnia creata, quæ illi neceſſario ſubjecta ſunt, ſed ab homine, quem in pretio habet, & cum quo non ſine quadam reverentiæ ſpecie agit, ut loquitur Scriptura, voluntariam exigit ſervitutem; non vult hunc ſibi mancipii inſtar deſervire, ſed ſponte, & ut amicum potius decet, quam ſervum, quemadmodum idem ait Job 15. *Non dixi vos ſervos, ſed amicos*. Sed cum imperium, & dominium, quod in nos obtinet, alienari non poſſit, ſi renuimus illi, quatenus ſervos, eſſe fideles, eidem fideles erimus quatenus rebelles captivi, in quibus juſtitiæ ipſius rigor eniteſcet. 3. Duobus hiſce titulis, qui ſunt illius magnitudo, ac ſupremum, quod in nos habet, dominium, tamquam Creator noſter, adde etiam tertium jus nos ſervos vocandi, quod nequaquam credidit ſua magnitudine indignum; videlicet, quod nos emit, vel potius rededit. Etenim noſmet alteri mancipaveramus Domino per peccatum, & hoc pacto illius excuſſeramus imperium, ut peccato, ac dæmoni obſequeremur, ut S. Petrus Apoſtolus inquit. Poſtquam autem nos ex hac liberavit captivitate vitæ, ſanguiniſque ſui pretio, nobiſque libertatem filiorum Dei acquiſivit, nonniſi propter illum, & ut illi ſerviamus, vivendum eſt nobis, quæ eſt S. Pauli 2. ad Cor. 5. illatio; *Ut jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt*. Ita niſi ingrati ſimus tanto huic beneficio, quod reliqua omnia complectitur, noſmet illius ſervituti mancipare debemus; quapropter parti huic finis imponendus eſt profitendo, nos cum gratia ipſius, eidem in æternum fideliter ſervituros:

Pars altera. Deus dominorum omnium eſt Dominus, quapropter intereſt noſtra illi ſervire, & in hac ſervitute ad mortem uſque permanere. 1. Commodus eſt dominus nihil præcipiens, quod vires noſtras excedat, nil nimis durum, & difficile: cui ſatis eſt modicum illud, quod pro illius ſervitute facimus, & qui reſpicit magis affectum, bonamquæ voluntatem, quam magnitudinem earum rerum, quæ facimus, ut ipſi ſerviamus. Ubi inſtituenda eſt comparatio, & oſtendendum quid in mundi, aliorumque dominorum ſervitio in omnibus ſtatibus, & conditionibus ſit perferendum. 2. Dominus eſt bonitate, & ſuavitate refertiſſimus, qui lenit unctione gratiæ ſuæ ſervorum ſuorum labores, & pœnas; quamobrem jure teſtatur jugum ſuum ſuave eſſe, & onus, quod a nobis geſtari jubet, leve, 3. Dominus eſt liberalis, qui rationem habet earum rerum omnium, quæ pro illius ſervitute facimus, neque eas in altera tantum vita remunerari differt; ſed in hac quoque incipit ea dulcedine, & ſolatio, quo afficit ſervos ſuos, & quod ultra centuplum omnes eorum labores remuneratur.

II. 1. Fidelium qualitas, quam gerimus, nos cogit, ut Deo fideliter deſerviamus. 2. Tota chriſtiana doctrina ad id redigitur, ut ſciamus, quomodo illi ſerviendum ſit.

Pro priori parte. Hanc in baptiſmo profeſſionem emiſimus abrenunciandi mundo, pompis ejus, omnibuſque vanitatibus illius, ut Deo uno ſerviremus. Secundo; prima veritas, quam in religione docemur, eſt, nos in mundo eſſe dumtaxat, ut Deum amemus, eique ſerviamus, & hic finis eſt, ad quem creati ſumus, ut illi inſerviamus, cum propter illum, ejuſque gloriam tantummodo creati ſimus. Tertio: quia tota noſtra felicitas in hoc ſita eſt, ut illum in hac vita diligamus, eique famulemur; quippe in altera eo majores erimus, quo fidelius illi fuerimus obſecuti.

Pro poſteriori. Chriſtiana religio docet, ad hoc ut Deo ſerviamus, quomodo ille cupit, & ipſi tenemur; 1. nobis ad unguem leges, & mandata illius ſervanda eſſe. 2. Omnes actiones noſtras ad ejus gloriam eſſe referendas, nihilque aliud ſpectandum, niſi quod pro illo nobis laborandum eſt. 3. Habendam eſſe ſinceram voluntatem numquam ab illius ſervitute deſciſcendi, eumque numquam lædendi.

III. Tria potiſſimum in Dei ſervitute ſunt conſideranda. 1. Honor, & gloria, quæ cedit ſervientibus ſupremo huic univerſorum Domino. 2. Bona, quæ inde in hac vita recipimus: peculiare illius patrocinium; pax conſcientiæ; libertas filiorum Dei; immunitas a cupiditatum captivitate, & mundi hujus ſervitute. 3. Præmia, quæ in altera vita ſperamus, & regni ſui hæreditas, quam ſervis ſuis pollicetur.

IV. 1. Deus a nobis exigit jure, ut illi noſtram devoveamus ſervitutem, quatenus Creator, qui ad id nos unice creavit; quatenus ſupremus Dominus, qui imperare poteſt, quod illi placet; quatenus noſter poſtremus finis, qui futurus eſt ſuprema felicitas noſtra, quam ipſe nos mereri vult ipſi famulando. 2. Oſtendendum eſt nos futuros felices, & Deum contentum noſtri futurum, ſi illi inſervientes id fecerimus, quod facimus, ut mundo ſerviamus.

V. Tria ſunt bonorum genera in ſervitute Dei, quæ in mundi ſervitute non inveniuntur. 1. Bonum honorabile: *ſervire Deo regnare eſt*: cum e contra mundi, & cupiditatum noſtrarum ſervitus turpis ſit. 2. Bonum utile. Ibi enim infinita ad cœleſtem gloriam acquirimus merita, ubi æternam mercedem ſumus conſecuturi. 3. Bonum delectabile. Ibi enim pacem nanciſcimur, veraſque voluptates guſtamus.

VI. 1. Obligatio ſerviendi Deo. Illius ſumus, quia ſumus opera ejus; poteſt igitur jure de nobis diſponere, operam noſtram a nobis exigere. Ad hæc propter illum ſumus, ut eum colamus, eique ſerviamus, a quo eſſe, & vivere accepimus. Denique tota noſtra felicitas in hoc ſita eſt, ut fideliter ei famulemur. 2. Quænam ſint opera, quæ a nobis exigit? Eadem præter propter ac illa, quæ fideles famuli dominis ſuis præſtant, Quærere, quid ipſe velit, & optet a nobis fieri. *Domine quid me vis facere?* uti S. Paulus dixit ſtatim ac fuit converſus; id alacriter, & fideliter exequi, nec umquam facere, quod illi diſpliceat. 3. Quomodo illi ſerviendum ſit, & conditiones, quas a ſervis exigit Deus. Hæ nimis duræ non ſunt; eædem enim ſunt, quas S. Paulus in ſervis erga heros ipſorum requirit, videlicet, ut illi *cum timore & tremore*, ſed filiali timore ſerviamus; *cum ſimplicitate*; hoc eſt cum intentione eidem placendi; cum alacri, hilarique voluntate: *cum bona voluntate*. Deus ignavos in ſervorum ſuorum album non recipit.

VII. 1. Rationes, quæ nos ad Deo ſerviendum impellere debent: juſtitia; illi debemus quidquid ſumus, quidquid habemus, quidquid facimus. Utilitas; ibi enim quæcumque fingi poſſunt bona, invenimus. Gratitudo; quid minus facere poſſumus propter Deum, qui in ſingula momenta nos cumulat beneficiis? 2. Modus, quo Deo ſibi ſerviri vult. Libere ſerviendum eſt illi; quippe involuntariam, coactamque, quæ ſibi ab invito adhibetur, reſpuit ſervitutem. Vult ſibi cum gaudio, non autem cum triſtitia, & mœrore ſerviri. Serviendum eſt illi cum perſeverantia; & mobilem, atque inconſtante reſpuit ſervitutem.

VIII. De illo diſcrimine, quod inter mundi, ac Dei ſervitutem intercedit. 1. Mundi ſervitus dura eſt, atque difficilis. Dei vero ſuavis eſt; quippe gratiarum ſuarum ope nobis modum ſuppeditat, quo adimplere poſſimus ea, quæ præcipit, efficitque, ut ibi gaudium reperiamus. 2. Mundi ſervitus infructuoſa, ac ſterilis eſt: plurimum laboratur, & vulgo nullus fit quæſtus: in ſingulos aliquod lucrantes ſexcenti numerantur ſpe ſua fruſtrati, & modicum illud, quod percipitur, non eſt cum labore ad id perferendo comparandum. 3. Mundi ſervitus turpis eſt; qui illi ſerviunt, ad humillima quæque dejiciuntur, cum e contra ſervitus Dei ſit cum ſummo honore conjuncta.

IX. 1. Ex omnibus dominis Deo uni jus eſt nos obligandi, ut illi in ſpiritu, & veritate ſerviamus; cujus rei argumenta a nobis jam allata ſunt. Hæc prima eſt propoſitio. 2. Tamen ex omnibus dominis Deus ille eſt, cui vulgo peſſime ſerviatur; quotus enim quiſque propter illum facit, quod facit pro mundi, ac terræ principibus? Propoſitio altera. *Ex dictionario Morali*.

X. Nihil glorioſius eſt, quam titulus ſervorum Dei, qui ſimul nobis & amicorum, & filiorum ejus confert qualitatem, qui certos nos facit protectionis ejus, & jus nobis confert ad cœli hæreditatem. 2. Nihil indignius, quam illi renuere ſervitutem, quæ ipſi debetur; & agere contra gloriam illius, vel illi oſcitanter deſervire. *Ex P. Duneau tomo primo Dominicalis*.

XI. *Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam* &c. Duæ qualitates, quas verus Dei ſervus habere debet. 1. Fidelitas in Domini ſui gloria procuranda; in præferenda illius utilitate propriæ,